



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. I. Ortus & Educatio P. Balthassaris: & eius in Societatem Iesu
Ingressus, Tyrocinium, & studia literaria

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347



BALTHASSARIS
ALVAREZ RELIGIOSI
SOCIETATIS IESV
VITA.

CAPVT I.

ORTVS ET EDVCATIO
P. Balthassar: & eius in Societatem
IESV Ingressus, Tyrocinium,
& studia literaria.



ACTVS est P. Balthassar Alua-
rez in Oppido Ceruera Dicoe-
cesis Calaguritanæ, anno à
Christo nato millesimo quin-
gentesimo trigesimo tertio
parentibus nobilibus: Patri
nomen fuit Antonius Alua-
rez; matri Catharina Manrique: ab ipsa infan-
tia ita in bonum propensus, vt in ea ætatula ma-
gna dederit eius pietatis ac deuotionis indicia,
quam adultus erat habiturus. Ordinariè enim, &
libenter occupabatur in conficiendis crucibus,
erigendis altaribus, & instituendis supplicationi-
bus. Educant illum parentes piè valde, & Chri-
stianè: curaruntque vt in ipso Oppido prima li-
terarum rudimenta, & latinam linguam addisce-
ret:

A

ret:

ret : cumque in ijs humanioribus bene profecisset, miserunt ad Complutensem Academiam : vbi post Philosophiæ curriculum emensum Magister creatus est : suaque studia prosequens, duos annos in Scholastica Theologia cum magno suo profectu posuit. Hoc ipso tempore DEVS hominem ad virtutem alliciebat ac disponebat ad id, in quo eius opera, & obsequio vti volebat : & cum ad deuotionem ac recollectionem propenderet, tales ei prospexit socios, qui & ipsi eidem recollectioni studentes, eum iuarent. nam, vt Sapiens dixit : *a qui cum sapientibus graditur, sapiens erit* : ac similiter qui recollectis ac deuotis coniungitur, similis erit illis : quod multo magis experiuntur adolescentes, quibus ob teneram ætatem, & verba, & mores amicorum, cum quibus versantur, facile adherescunt ; & si ipsi sunt aliàs ad bonum propensi, alijsque bonis coniungantur, multum proficiunt in suis bonis propensionibus. Quare pius hic noster Adolescens ab Anno præcipue millesimo quingentesimo quinquagesimo primo ex familiaritate cum quodam seruo DE I coepit affluere, vt bis in die, mane scilicet, statim atque surgeret ; & vesperi, cum esset incumbendum, conscientiam suam lustraret, & aliqua meditaretur, quæ Deus illi delibanda offerret. cumque hæc eum afficerent ac delectarent, adiecit postea alia tempora interdiu, in quibus oraret : qua ratione, & delectatio, & profectus augebatur ; & idem eueniebat ex lectione bonorum librorum, & pijs sanctisque conuersationibus.

a Prov. 13.
20.

P E R hæc exercitia dedit ei Dominus quatuor annis, priusquam Societatem ingrederetur, feruens quoddam & inflammatum desiderium deserendi mundum, & CHRISTI Domini nostri consilia sequendi: nam respiciens, quàm misera (vt ipse aiebat) vita sua præterita fuisset; & quàm ingratus ipse erga eum, qui tot beneficia in ipsum contulisset: iudicabat ad seridè D E O seruiendum, & animæ suæ saluti consulendum expedire sibi religiosum statum amplecti, in quo id maiori cum securitate, & perfectione obtineretur. Sed bonas hæc cogitationes animique desideria cogitatio quædam continuè oppugnabat ac remittebat: quod scilicet parentes multa cum eo exponerent, vt studijs vacaret: non decere autem, eos in senectute deserere, præcipuè cum in litteris ad ipsum datis iuberent, eum recipere curam duarum fororum paruularum, quæ post ipsorum mortem non alium patrem nisi ipsam haberent. Cumque ipse parentes suos valdè reuereretur: hæc cogitationes ac rationes magnam in eius corde vim habebant, hominemque reddebant valde perplexum. Nec mirum: siquidem (vt sanctus Gregorius perpendit) *b nerui Behemot perple-* b Iob 40.12.
xi appellantur: nam cum Sathanas aduer- Lib.32.c.17.
 tit, vocari aliquem à D E O ad religionem, aggreditur illum, conaturque rationibus, pietatis speciem præferentibus, ita illum offuscare, & irretire: vt non sciat, cui debeat Spiritui obedire; vocanti ne, an retrahenti. Sed lux cœlestis Iuuenem hunc iustum non deseruit; sed

ex ea perplexitate eduxit, Deiq; rationes & vocatio vicerūt, ac dissoluerunt eas, quæ pro carnalibus parentibus suggererantur, data illi magna fiducia de bonitate diuina, quod tanquam orphanorum parens, esset eius sororibus prospectura: id quod postea præstitit cum omnium gratulatione. Necdum tamen constituerat ipse: quamnam vellet Religionem amplecti. quamuis valdè ad Carthusianam propenderet: quod eam iudicaret propensione suæ, qua ad recollectionem & poenitentiam inclinabat, esse maximè aptam. Hæc suâ desideria nouem menses, antequam Societatem nostram amplecteretur contulit cum quibusdam viris doctis, quibus erat familiaris, præcipuè verò cum quodam cognato suo valde fideli DEI seruo, qui Canonicus postea fuit in sancta Magistrali Ecclesia Calagurritana. Is, cum negotium diligenter DEO commendasset, ei respondit; si desiderio teneretur mundo renunciandi; ingrederetur Societatem IESU, quæ tanquam recens instituta magna sanctitate, ac spiritus feruore emineret. Quæ ratio adeò illi arrisit, vt statim constituerit apud se, ingredi Societatem: totaq; vitæ suæ gratissimum semper animum gessit erga eum, qui rectum adeò sanumque consilium suggestisset: ita vt post multos elapsos annos, in quadam profectioe decem milliaria circumiuerit, vt viram illum accederet, gratiasq; illi ageret, qui DEI fuisset aptum instrumentum in hoc beneficio sibi collato.

SEU non decet; aliam causam huius vocationis silentio præterire, quæ mea quidem sententia fuit magis præcipua, licet tunc esset occulta.

Cupie-

Cupiebat feruens iste Iuuenis Carthusianum Institutum amplecti, vt, quod Ieremias dixit: *se- c Thren 2. 28.*
deret solitarius & taceret, quia sic leuaret super se.
 eligens scilicet partem Mariæ, vtpote meliorem, quàm Marthæ; & omninò se tradens vitæ Contemplatiuæ, vtpote excellentiori Actiuâ. Sed
 D E V S (cuius prouidentia est admirabilis in distribuendis vocationibus ad diuersas Religiones, variaque in eisdem munia) hominem hûc ad eam vitam elegerat, quæ vtramque complecteretur; & melior est quauis eius parte seorsim accepta: *Vide Caiet. in 2. 2. q. 182. a. 1.*
 quæ, ad imitationem supremi nostri Magistri, ac Redemptoris, eiusque sanctorum Apostolorum, ita occupatur in contemplatione diuinorum Mysteriorum, vt lucem, facultatem, animique robur ex ea hauriat ad id, quod in Actiua est optimum, attendere scilicet salutem animarum, exeundo (vt sanctus Bernardus ait) à Contemplatione *Ser. 57. & 58. in Cam.*
 ad Actionem; & ab Actione redeundo ad Contemplationem. Et hoc existimo fuisse præcipuum motiuum maiestatis diuinæ, vt hunc Iuuenem vocaret & alliceret ad Societatem I E S V: quæ ex proprio Instituto habet, non solum salutem & perfectionem propriarum animarum vacare: sed etiam in salutem & perfectionem proximorum incumbere, adhibitis ad vtramque oratione; & contemplatione, ac reliquis spiritualibus exercitijs. Cùm igitur hoc secum decreuisset, statim absque vlla mora petijt in Societatem ipsam admitti: non enim (vt sanctus Ambrosius ait) *Lib 2. in Lucam.*
tarda molimina Spiritus sancti gratia. Et quando vocatio agnoscitur esse D E I, meritò est illi obtemperandum ad eò exactè ac velociter, vt (quem-

Rom. 14. in
 Matih
 d Matih. 4.
 22.

admodum ait sanctus Chryostomus) nec ad v-
 nicum momentum hæreamus : quemadmodum
 sancti d Petrus & Andreas, duog, filij Zebedæi
 continuò & statim atque à Christo sunt vocati,
 relictis retibus, & patre secuti sunt eum. Hac igitur
 celeritate pius hic iuuenis dedit operam, vt
 in Societatem admitteretur : quod factum fuit in
 Collegio nostro Complutensi, vno ex præcipuis
 nostræ Religionis in Hispania, ex quo plurimi
 valdeque præstantes Religiosi prodierunt, qui
 Spiritu suo, virtute, & eruditione valde eam illu-
 strarunt. Ingressus est autem Anno millesimo
 quingentesimo quinquagesimo quinto, cum esset
 ætatis viginti duorum annorum, decimoquinto à
 Confirmatione ipsius Societatis, quemadmodum
 sanctus Bernardus, cum eiusdem esset ætatis, no-
 uum Ordinem Cisterciensem ingressus est, post
 annos quindecim ab eius institutione. Neque ac-
 cidit absque aliquo diuinæ prouidentiaæ myste-
 rio, vt admitteretur tertio die Maij, Inuentioni
 sanctæ Crucis dedicato, quasi Prognosticum esset
 eius affectus & amoris, quo ipsam crucem am-
 plecteretur ; plurimisque proximis dirissimos
 thesauros manifestaret in ea latentes. Receptum
 mox superiores miserunt Senticam (vulgò Siman-
 cas) vbi Nouitiatus, siue Tyrocinium erat totius
 Prouinciaæ, quæ tunc complectebatur vtranque,
 quas nunc Castellanam & Toleranam vocamus.
 Erat singularis, valdeque extraordinarius feruor
 Tyronum, ex varijs locis eò conuenientium : Spi-
 ritus enim sanctus replebat eos multo, & nouo
 Spiritus vino, recentis huius Religionis proprio,
 quam idem in sua Ecclesia recens plantauerat.

Exper-

Expertus est noster hic Tyro, re ipsa veram esse rationem, quam eius cognatus ei proposuerat; cuius benè semper memor, operam dedit, vt feruentem priorum eius Patrum spiritum promoueret, qui adeò recens ac viuax in eorum filijs permanebat, ne ipsius culpa veterasceret aut tepesceret. Sociorum igitur adeò feruentium exemplo permotus & animatus cœpit ipse inter eos eminere, omni suo conatu contendendo ad excellentem sui mortificationem, poenitentiam, orationem, & insignes alias virtutes, quæ in ipso toto vitæ eius decursu eluxerunt: vt mox apparebit. Ex eo enim tempore cœpit angustam perfectionis semitam propero, ac feruenti gressu ambulare, quem ad mortem vsque continuò tenuit. Et ita ipse solebat postea Tyronibus dicere: (quemadmodum ego ipsius nouitius in quadam exhortatione audiui) *Attendite, quomodo nunc in via spirituali progrediamini. nam de lege ordinaria, quo passu tempore Probationis, & Tyrocinij vestri progrediemini, eodem reliquo vita tempore pergetis. Si hoc Nouitatus vestri tempore tepidi fueritis, & in vestro spirituali profectu desides, tales semper & immortificati manebitis: si autem nunc magno spiritus feruore incedatis, assuescetes vos benè ad eodem modo progrediendum.* Quæ veritas quamuis ex antiquissimo prouerbio ab Spiritu sancto approbata intelligatur, qui ait: *e* *Adolescens* *e* *Prou.22,6.* *iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea*: eandem tamen ipse protulit, sicut multas alias, ex propriæ experientiæ libro,

Gradu 4.

memor feruoris illius, quem Dominus noster tempore Nouitatus ipsi communicauerat: Quo tempore valde illum iuuit Pater Bartholomæus Bustamantius, qui tunc Magistrum agebat Nouitiorum. Nam vt subiecti huius talenta & facultates cognouit: eum probabat ac cælabat, iuxta consilium S. Ioannis Climaci, varijs mortificationibus, ac pœnitentijs: vt magis quotidie in virtutibus proficiendi occasionem ei præberet: maximè cum is Magistri sui manibus se totum cum magna humilitate traderet, instar ferri ex camino extracti, & fabri arbitrio relictæ, vt ipsum flecteret; & pro sua voluntate poliret, donec eius cordi forma Euangelicæ perfectionis imprimeretur. Quare sæpè dicebat: Patrem Bustamantium, magnum ipsius animæ bonum præstitisse. Non enim credi potest, quantum sancti ac periti Magistri attentio ac diligentia valeat, vt nouitius insignis euadat. Et quoniam Deus Dominus noster Nouitium hunc instruebat ac poliebat, vt & ipse Tyronum Magister, & multarum animarum dux, ac director fieret. voluit, ipsum experientia discere, quantum eis bonum ex eo proueniret, quod bonum ac peritum ducem fortirentur.

EODÈM tempore ventitabant Senticam Patres Franciscus de Borgia, & Antonius de Araoz, duo illi Societatis oculi in Hispania. Iubebant autem superiores, fratrem hunc Balthassarem eisdem Patribus ministrare, vt modestiæ, feruorisque sui odore eos ædificaret, ipseque ex luce illa proficeret, quam ab eiusmodi luminaribus acciperet; & nominatim à Patre Francisco, qui obseruans eum adeò feruentem ac deuotum,

magnum

magnum in eum concepit affectum. Sed non fuit valdè diuturnum tempus Senticianę recollectionis. Nam, cum in vicino quoddam Collegio cocus deesset, eò fuit missus, vt cocum ageret, vt qui multis indiciis suum ad officia vilia affectum proderet. Adeoque serio per menses aliquot officium illud egit, atque si tota vita in eo fuisset occupandus, negligens omnino sui, ac rerum suarum; solumque attendens, quomodo soli DEO placeret, in cuius domo (vt ipse aiebat) nullum inuenitur officium vile, aut occupatio, quæ non sit in magno honore habenda, relinquendo eius durationis tempus prouidentia DEI, qui per ipsos Superiores id totum constituit. Hi autem, cum eum tam foeliciter profecisse viderunt, ad finem eiusdem anni ex Tyrocinio ad sua studia prosequenda dimiserunt. Et si enim in Societate duo sint anni Probationis pro Tyronibus constituti: eo tamen tempore, quòd in suis initijs esset; paucaque haberet subiecta, illud tempus minuebatur: & DEVS gratiã suã defectum illum supplebat, perficiens in eis magno Spiritus feruore in paucis mensibus, quod nunc in duobus annis obtinetur. Maxime quod in medijs studijs, Tyrones feruorem ac deuotionem obseruabant, ita orationibus & laboribus attendentes, atque si studiosi non essent; & ita studentes, atque si non essent Tyrones. Et hac ratione ex particulari DEI auxilio eo tempore prodierunt aliqui viri non minus in Spiritu & Sanctitate, quàm in diuinis & humanis scientijs eminentes.

M I S S V S itaque est Burgos, vt in Philosophia, quam Compluti auiderat, perficeretur: sed breui

breui illic mansit: eò quòd exactè aliàs studuiffet, quare post paucos dies Anno 1556. missus est ad Collegium Abulense, vt annos duos Scholastica Theologia, qui illi deerant, perficeret in Monasterio S. Thomæ Patrum Dominicanorum. Cùm enim eo tempore nondum haberet Societas professores constitutos, mittebantur nostri fratres studiosi ad Vniuersitates Salmantinam, & Complutensem, aut ad Collegia siue Conuentus sacrae Religionis sancti Dominici Vallis Oleti & Atulæ: in quibus excellenter, & exactè, vt toti mundo constat, prælegitur. Studuit igitur ibi per duos annos sacrae Theologiae non sine varijs occupationibus. eò quòd Collegium illud Societatis esset recens fundatum, ac propterea necessarium multis rebus attendere, quæ in tali occasione deesse solent, domibus præcipuè ad eò pauperibus, & indigentibus: nihilominus tamen ipse in studijs ita profecit, vt inter peritiores sui temporis studiosos numeraretur. Et quamuis nõ valde emereret in ipsa Scholastica Theologia, quòd in ea defuit, suppleuit in Mystica: obtinuit enim à Domino Deo nostro, vt postea videbimus, per Orationem, quod alij magno labore studiorum assequuntur: ita vt aptissimus esset ad ea Officia & Ministeria, quæcunq; ipsi iniungebantur, Confessarij, Magistri Nouitiorum, Rectoris, Prouincialis, ac Visitatoris; gubernauit enim direxitque omne genus hominum, Sæcularium, ac Religiosorum Societatis nostræ, & externorum ad eò excellenter, colloquendo & exhortando, tam in communi, quàm in particulari de rebus Spiritualibus, vt exemplar quoddam esse possit perfectionis

tionis ijs omnibus, qui eiusmodi Officijs funguntur. Nam sanctus hic vir ab initio primæ suæ vocationis sculptum semper habuit in corde suo consilium illud à S. Bernardo Monachis de Monte Dei datum, dicente illis, ab omnibus cuiuscunque gradus & status in Religione meritò exigi, ut sint perfecti : à Tyrone & Nouitio, ut sit perfectus Nouitius; ab Studiofo, ut Studiosus sit perfectus; ab Operario, ut sit Operarius perfectus; ab Incipiente, ut sit perfectus Incipiens; à Proficiente, ut in Profectu sit perfectus; & ab eo, qui est iam in gradu Perfecti ne hæreat, sed (ut Apostolus suadet) *ea que retro sunt obliuiscens, ad ea que sunt priora seipsum extendat, ad destinatum persequens, ad brauium supernæ vocationis Dei: ut semper studeat esse perfectior.* Ita ut, qui Nouitius est, perfectè habeat illas virtutes, & in eo gradu, quem Nouitij status meritò habere debet: atque prout crescit, perfectiorem in iisdem gradum acquirat. Et quoniam Pater hic Balthassar hoc modo est progressus, ita constitui, historiarum ordinem per annos prosequi, ut dum eius virtutes referam, simul indicem augmentum, & perfectionem earum, quamuis id diuersis acciderit temporibus.

Tract. de vita solitaria.
Philip. 3.14

